



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom: A. V: 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

De Cognitione
HOMINIS LAPSI ET
INSTAVRATI TERTIA DISPV-
TATIO E PSALMO XIX. VBI DE PEC-
 cato, justificatione & regenera-
 tione differitur:

A

MARCO BEVMLERO TIGV-
rino confecta, ut de eâ publica συζητησις
in Schola Tigurina in-
stituatur:

Respondente,

JOAN. HENRICO SCHINZIO
 Tigurino, Theologiae studioso.
 Ad XXVI. April.



TIGVRI,
 APVD IOHANNEM VVOLPHIVM.
 M. D. XCVII.



DISPUTATIO DE COGNITIONE HOMINIS

Thesis.

I.

DISPVTATIONEM de cognitione Dei tã creatoris, quã Mediatoris sequitur disputatio de cognitione hominis: quam etiam Ethnici tanti faciendam iudicãrũt: ut foribus templi Appollinis Delphici hoc oraculum, *ἦσεν αὐτὸν*, incãdi curãrint: quò omnibus in conspectu esset.

II. Homo autem post lapsum Adami postq̃, obscuratam imaginem Dei, ad quam ipse principio effictus fuit, recte vereq̃, cognoscitur: si primũ quã corruptus, deinde quã restitutus est, consideretur. Quod vtrumq̃ Ethnicos latuit: ex quo est, quòd se aliosq̃ recte aestimare nosse ve nunquam potuerunt.

III. Itaque Spiritus sanctus in sacra pagina, passim quidem, maximẽ verò & luculentissimẽ in Epistola ad Romanos, quæ merito iureq̃, *ἡ ἐπιστολὴ πρὸς ῥωμαίους*, sanorum sermonum vocatur, duo ista attendenda docet.

IV. Quæ duo Psaltes hoc ipso in loco attingit & persequitur: ut deinceps videbimus.

V. Hominis ergo corrupti miserũ statum initio v. 12. generatim proponit ac adumbrat his verbis: *Errores quis intelligit?*

VI. In hominis corrupto statu describendo utitur cũ epiphonemate, tum communicatione: epiphonemate, ut magnitudinem ac gravitatem hujus calamitatis deplorat, exaggeret, detestetur: communicatione, ut ostendat, eam ita certam ac ipsa experientia conscientiaque cuiusvis comprobata, ut negari ullo prætectu haudquaquam possit.

VII. Sententia ergo est: *Tanta est tamq̃, multiplex hominis lapsi corruptio ac depravatio, ut eam fando exprimere aut mente capere nemo homo possit: tam vero aperta & cognita cuivis, ut eam nemo intelligens inficiari audeat.*

Impu

VIII. Impudenter ergo Pontificii Spiritui S. contradicunt, ac propriae conscientiae testimonio repugnant, flagitantes in auriculari ista sua confessione omnium ac singulorum delictorum enumerationem.

IX. Vox autem שגיא Schegiôth, qua corruptum hominis statum exprimit, est à verbo שגה Schagah, quod plerumq; ignorare; nonnunquam tamen cum voluptate quadam & studio a vero justoq; aberrare, ac errando se oblectare significat. unde vox שגיא Schegiôth, errores sive per imprudētiam & ignorantiam, sive studio quodam admissos denotat. Quos Graeci παρθώματα, Latini errores, delicta, peccata vocant.

X. Hac igitur voce peccati natura, quam Apostolus αἰούριαν ^{1. Io 3. v. 4} definit, exprimitur. Est enim αἰούριαν omne id, quod ad legem Dei non convenit, ab ea discrepat, praeter & contra eam quacunq; ratione admittitur. Est siquidē lex Dei norma, regula, scopus juxta quem & ad quem omnia dirigenda, agenda & examinanda sunt: a quo, qui quocunq; modo abest aut deflectit, errare, delinquere, peccare dicitur. unde Damascenus peccatū elegantissimē describit: Αμαρτανειν ἐστιν ἀποτυχανειν τῆ σκοπῆ, Peccare est a scopo aberrare.

XI. Ceterum peccati nomine, quod miseriae hominis pars prior est per metonymiam causae etiam pœnam intelligere possumus ac debemus. Quae pœna peccatum, tanquam causa effectum, subsequitur: ac vno nomine Mors appellatur, juxta dicta: In die, quo ^{Ge. 2. v. 17} comederis, &c. moriendo morieris. ^{Ro. 5 v. 12} Itē: Per peccatum ^{Ro. 6. v. 23} mors. Item: Stipendium peccati mors. Item: Stimulus mortis est peccatum. ^{Iac. 1. v. 15} Item: Peccatum peractum gignit mortem. Mortis autem nomine cum obscuratio imaginis Dei, quae antea in homine luxit, tum calamitates corporis & animae, tum etiam mors prima ac secunda intelligitur. Quae est secunda miseriae humanae pars.

XII. Sic ergo statum hominis corrupti generatim proposuit

ac descripsit Psaltes: deinceps posteriori parte 12. & priorē 13. eā distribuit in duo genera, in errores videlicet occultos & superbos.

XIII. Occultos vocat, qui vel intus in homine latent, vel nō nisi timidē & absque contumacia forās prodeunt: ac alio nomine peccatum non regnans in Schola Theologorum vocantur.

XIV. Hoc verō est vel primum & hereditarium, Theologis originale dictum, vel ab isto proximē ortum.

XV. Peccatum originale est depravatio & corruptio totius naturæ humanæ a peccato primorum parentum per carnalem generationē in omnes homines propagata, ipsos ira Dei reos ac æternæ damnationi obnoxios faciens, ac reliqua peccata ciens. Quæ definitio paucis explicanda est.

XVI. Peccatum hoc primū dicitur depravatio & corruptio: quōd in scriptura dicitur: Cogitatio cordis hominis mala est a pueritia sua. Item: Peccatum in me habitat. Et: Novi quōd non habitet in me, id est, carne mea, bonum. Item: Eramus naturā filii iræ, ut etiam reliqui.

Ge. 8. v. 21.
Rom. 7.
v. 17. 18.
Eph. 2. v. 3

XVII. Ergo Pigghii & Monachorum figmentum, qui, liberi arbitrij astruendi gratia, peccatum originis reatum tantūm e peccato Adami in omnes homines manantem, non autem culpam, vitium, aut depravationem singulis innatam esse somniant: contra scripturam, quæ ut vidimus, affirmat, cor ratione originis esse pravum, peccatum & malum in nobis habitare, nosq; naturā non alieno aut extra nos constituto peccato, filios iræ esse.

XVIII. Additur, totius naturæ; ut significetur hanc luem hereditariam & corpus & animam tentasse ac pervasisse: In corpore quidem depravatā locomotivā & hereditariis morbis contractis: unde & mortale factum: In anima verō obscuratā intelligentiā, & depravatā voluntate. Adeo ut illa in rebus ad salutē necessariis & capium humanū superantibus partim nihil videat, aut cāpiat, partim verō mendacia hauriat, ac Dei sapientiæ ultrō reluctetur etiam convicta: Hæc verō intelligentiam, a qua tanquam



tanquã ab aurigã regi oportebat, præceps rapiat; ac ipsum quoq;
spiritum interdum abripiat: nec non, cum tanta sit omnium natu-
ralium affectuum à ratiã, tota ad vitium, etiam cõtra quas cunq;
rationis monitiones, ultrò feratur, nec quicquam rectè vel appe-
tat vel fugiat.

XIX. Hinc illa de intelligendi facultate labefactatã in Scri-
pturis pronunciata: Non est, qui intelligat: non est, qui ex-
quirat Deum. *Item*: Animalis homo non est capax eo-
rum, quæ sunt Spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, nec
potest agnoscere. Gentes versantur in vanitate mentis
sua: cogitationem habentes obscuratam. *Item*: Dilexe-
runt homines potius tenebras, quàm lucem. *Item*: Intel-
ligentia carnis inimicitia est adversus Deũ. Legi enim
Dei non subjicitur: nam ne potest quidem. *De voluntate*
verò hæc: Video aliam legem in membris meis bellige-
rantem adversus legem mentis meæ, & captivum red-
dentẽ me legi peccati, quæ est in mēbris meis. *Itẽ*: Caro
concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus
carnem. Hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæ-
cunq; volueritis, eadem faciatis. *Item*: Nos omnes con-
versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, fa-
cientes, quæ carni ac cogitationibus libebant, eramusq;
natura filii iræ.

XX. *Facessat ergo a nobis cum Pelagianorũ priscorum, tum*
Semipelagianorum recentium commentũ, quo homini, qui in Ada-
mo lapsus, nec spiritu Dei renovatus est, liberum in rebus divinis
arbitrium tribuunt: cum præter ea, quæ modò vidimus, Scriptura
doceat hominis naturam ita corruptam, ut in peccatis mortui, ac
ad boni quid cogitandum nullo modo idonei simus.

XXI. Hinc etiam refellitur error eorum, qui peccatum ori-
ginale ipsam hominis essentiam esse non ita pridem somniarunt.
Cum enim, ut de anima tantum dicam, nec ipsa intelligentia nec

voluntas sublata, (illis enim sublati anima humana reliqua esset nulla) sed dicto modo, depravata tantum sit, quæ depravatio est ipsum originale peccatū: relinquatur ipsam hominis essentiam & pravitatem originalem, ut subjectum & adjunctum, distingui debere. Illa quandoquidem subjectum pravitatis: hæc verò adjunctum ejus est. Quod vel inde patet, quòd Filius Dei corpus & animam rationalem nostris ὁμοίωσιν assumpsit: peccatum verò nullo modo. Sic corpus & anima fidelium recipientur in vitam æternam: peccatum verò nequaquam.

XXII. Sequitur in definitione, Ipsos iræ Dei reos ac æternæ condemnationi obnoxios faciens. Etenim labe ista originalis, quatenus peccatum primum primorum Parentū secuta est, pœnæ justæ debitæq; rationem habet. Quatenus verò & in primis parentibus & in posteris eorum ut pravitas & destructio bonæ naturæ a lege Dei discrepans consideratur, peccatum est: cum sit ἀνομία.

Ro. 5. v. 19. Juxta illud: Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Hoc cōstituto, sequitur homines ista labe infectos & iram divinam & æternam damnationem mereri. Hinc illa Apostoli: Unius illius lapsu multi mortui sunt. Item: Reatus quidem est ex uno lapsu ad condemnationem. Item: Per unum lapsum (reatus venit) in omnes ad condemnationem. Item: Intelligentia carnis mors est.

Ro. 5. v. 15. 16. 17.

Ro. 8. v. 6.

XXIII. Valeat itaque Pelagianorum & Anabaptistarum delirium, quo fingitur propter lapsum primorum parentum posteros reos ac iræ Dei obnoxios non fieri, sed singulos, tantum imitatione primorum parentum, peccatores fieri, culpam concipere, pœnamque accersere: cum in Scriptura dicatur, homines per inobedientiam unius hominis peccatores constitui, mori, reos fieri, condemnari.

XXIV. Valeat itidem Pontificiorum audax ignorātia, qua inficias iter, concupiscentiam & defectum, cum quo nascimur, peccata

cata

ata esse. Quis enim peccatum non sit, quod ira Dei ac aeternae damnationi obnoxios facit? Quis itidem peccatum non sit, de quo Apostolus pronunciat, Cupiditatem non nossem, nisi lex dixisset, Non concupisces?

XXV. Postremo in definitione adjicitur, Reliqua peccata ciens. Etenim ut labes & contagio, eo, quae diximus, respectu, & poena & peccatum est: sic eadem fit causa procreans reliqua, de quibus dicitur, peccata. unde illud: Peccatum occasione sumpta per illud mandatum effecit in me omnem cupiditatem. Item: ut peccatum fieret summe peccans per illud mandatum. Item: Cupiditas, postquam concepit, parit peccatum.

Ro. 7. v. 8.
Ro. 7. v. 13
Iac. 1. v. 15.

XXVI. Tale est peccatum primum & hereditarium: sequitur ab illo proxime ortum: quod comprehendit & cupiditates pravas & peccata multa ignorantiae, omissionis & infirmitatis.

XXVII. Quae omnia Psaltes occulta vocat, quod cupiditates intus delitescunt: peccata vero externa omissionis & infirmitatis non nisi timide, nec ulla cum contumacia in apertum prodeunt.

XXVIII. Et peccata occulta omnia in scholis Orthodoxorum Theologorum recte peccata non regnantia dicuntur: quod fidelibus & regeneratis perpetuo adherent, tanquam fructus peccati inhabitantis: quibus tamen, cum non sint sub lege, sed sub gratia, resistunt, nec in se totos dominari patiuntur. Quo pertinent haec & alia: Peccatum vobis non dominabitur: cum non simus sub lege, sed sub gratia. Item: Delector lege Dei, quo ad interiorum hominem. Sed video aliam legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis meae. Item: Qui Christi sunt carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.

Ro 6. v. 15

Rom. 7. v. 22, 23.

Gal. 5. v. 24.

XXIX. In scholis Scoliodoxorum vocatur veniale, & opponitur mortali. Quae oppositio si ve ad peccati naturam, si ve ad

Dei iudicium referatur, & impropria & periculosa est, ac proinde e scholis Christianorum tandem exturbanda. Nam si referatur ad peccati naturam, nulla sunt peccata, etiam leuissima quævis, suâ naturâ venialia aut mortem non commerentia, Scripturâ sine exceptione vlla clamante: Stipendium peccati mors. Peccatum peractum gignit mortem. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt, &c. Sin-
 verò ad Dei iudiciũ referatur, venialia sunt omnia peccata per sanguinem Christi ablata in electis, sic peccantibus, vt dono resipiscentiæ per eandem beneficentiam donentur ante mortem; Scri-
 pturâ dicente: Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, veluti nix albescent, &c. Item: Si quis peccarit, ad uocatum habemus, &c. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi.

Ro 6 v. 23

Iac. 1. v. 15.

Deut. 27. v. 16.

Iesa. 1.

v. 8.

1. Io. 2 v. 1.

XXX. Haftenus errores occultos & non regnantes vidimus: succedunt superbi.

XXXI. Superbos errores vocat David peccatum regnans: vnde se ab illis liberari cupiens, rationem addit ex fine: Ne dominantur mihi.

XXXII. Peccatum regnans seu superbum est in non renatis omne peccatum, in renatis error contra articulos fidei aut conscientiam, excludens ex corde fiduciam remissionis peccatorum, resipiscentiâ non subsequente, & obnoxium faciens peccantem exitio æterno.

Rom. 7.

XXXIII. Vocatur autem regnans siue dominans, quòd, qui eo tenentur, obediunt ei in cupiditatibus corporis, sistunt membra arma iniustitiæ peccato, serui fiunt peccati ad mortem, liberi verò iustitiæ. Dicitur excludere fiduciam remissionis peccatorum, resipiscentia non subsequente: cùm Apostolus dicat: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Item: Si secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini. Item: Prædi-

Rom. 8.

v. 8. 13.

Gal. 5.

co vobis

co vobis, sicut prædixi, eos qui talia agunt, regni Dei Gal. 5. v. 21
non fore heredes.

XXXIV. Præter hoc peccatum dominans, aliud reliquum
est gravius & atrocius, quod in Scripturis blasphemia seu pecca-
tum in Spiritum Sanctum dicitur. Mat. 12.
Marc. 3.

XXXV. Peccatum in Spiritum S. est voluntaria & spon-
tanea ab omni agnita, confessa, & Spiritus sancti testimonio in
corde probata veritate Evangelij ὑποσεία seu defectio cum o-
dio ejus perpetuo conjuncta, expers resipiscentiæ salutaris: ac pro
inde nunquam remittenda.

XXXVI. Peccatū hoc definitur genere ὑποσεία seu de-
fectio: quod Apostolus in peccatum hoc sese præcipitantes dicit
παράπιπτεν, id est prolabi, excidere, deficere. Et alius Apосто-
lus dicit eos καταλείπειν τὴν εὐθειαν ὁδὸν relinquere viam re-
ctam, & πλανᾶσθαι oberrare, & ὑπισπέρπειν εἶναι via recta, quam se-
mel ingressi sunt, retrocedere. Heb. 6. v. 6

XXXVII. Differentiæ loco apponitur, voluntaria ac spon-
tanea: quod Apostolus testatur, eos ἐκ βουλῆς sponte, ultrò, nullo
periculi metu aut infirmitate adactos ad hunc interitum ruere
voluntarium. Nec cum Petrus, metu ac infirmitate fractus, Do-
minum negavit, in Spiritum sanctum peccavit. Heb. 16.
v. 16. Matth. 26.

XXXVIII. Additur ab omni veritate Evangelica:
quando hæc defectio non fit ab uno aliquo fidei capite, sed ab uni-
versa Evangelij doctrina. unde Apostolus eos cani ad vomit-
um reverso, & sui locæ ad volutabrum cœni prolapsæ comparat. 2. Pet. 2.
v. 22.

XXXIX. Adjungitur, ab agnita, confessa, & Spiritus san-
cti testimonio probata: quod Apostolus de peccatum hoc commit-
tentibus testatur, eos φωτισθέντες illuminatos, ὑλοσώματα gu-
stasse donum cœlestē, & participes factos Spiritus S. ac gustasse
bonum Dei verbum virtutesq; futuri sæculi. Et alio in loco: Eos
peccare post acceptam cognitionē veritatis. Et alius Apostolus:
Eos effugisse inquinamenta mundi per agnitionē Christi, viamq;
B

Act. 4. v. 17.
1. Tim. 1. v. 31.
justicia cognovisse. Itaq; Paulus persecutus Ecclesiam Dei, & Iu-
dei multi, qui Christum abnegarunt, ac ad crucis supplicium postu-
larunt, in Spiritum S. non peccarunt: cum id per ignorantiam
commiserint.

XL. Hinc verò apparet, cur hoc peccatum appelletur pecca-
tum seu blasphemia in Spiritum S. quòd videlicet directè in pro-
prium Spiritum S. ἐπίπνευα feratur, quæ est illuminare corda, ac
de veritate Evangelii testari cordaq; convincere. Huic ergo il-
luminati ac testimonio, qui sciens, prudens volensq;, reclaman-
te conscientia propria, contradicit, resistit, & bellum indicit, merisò
in Spiritum S. peccare dicitur: quem, quantum in se est, contume-
lia, teste Apostolo, afficit.

Heb. 10. v. 29.
Heb. 6. v. 6.
Heb. 10. v. 29.
XL I. Sequitur in definitione, cum odio perpetuo conjuncta:
quòd Apostolus testatur, hosce ita deficere, ut filium Dei sibi rur-
sus crucifigant, ignominia exponant, pedibus conculcent, sangui-
nem fœderis profanum ducant. Quæ omnia odii atrocissimi signa
& effecta sunt.

Heb. 6. v. 4. 6.
XL II. Postremò in definitione dicitur, expers resipiscentiæ
& nunquam remittenda: quòd Apostolus testatur fieri non posse,
ut renoventur ad resipiscentiã. Cum enim vera resipiscentiã ma-
net a Dei Spiritu, Spiritum autem Dei, in uno Christo per fidem
gratis apprehenso, nanciscamur, nunquam possunt resipiscere, qui
in Spiritum S. peccarunt: unde consequitur, nec remitti posse.

Mar. 3. v. 29.
Heb. 10. v. 26. 27.
1. Io. 5. v. 16.
Quod ipse Servator his verbis testatur: Quicumq; blasphe-
marit in Spiritum S. non habet remissionem in æternum,
sed tenetur eterno iudicio. Et Apostolus: Non adhuc pro
peccatis reliqua est hostia: sed horrenda quædã expe-
ctatio iudicii. Et alius Apostolus: Peccatum ad mortem, pro
quo non fit rogandum, vocat.

Rom. 11.
2. Tim. 2.
Ioh. 10.
Rom. 8.
Matt. 24.
XL III. Hinc verò apparet, electos & verè regeneratos in-
funestum hoc præcipitium, quamvis interdum graviter labantur,
non abripi: cum Dei consilium de istis servandis sit ἀμεταμέλη-
τον &

rov, & fundamentum, quo Deus novit suos, stet: cum Scriptura clamet oves Christi e manibus pastoris sui eripi, a charitate Dei separari, in errorem seduci haudquaquam posse.

XLIV. Et hoc est, quod Ioannes testatur his verbis: Quis- ^{1. Ioh. 3.}
quis in eo manet, non peccat: quoniam semen ejus in
ipso manet: & non potest peccare, quia ex Deo genitus ^{1. Ioh. 5. v. 18}
est. Item: Novimus, quod quisquis ex Deo natus est, non
peccat. Natos ex Deo peccare, ex eodem Apostolo apparet, sic
scribente: Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos ^{1. Ioh. 1. v. 8.}
fallimus. Item: Si quis viderit fratrem peccare peccato
non ad mortem, petet, &c. Peccant ergo, sed non peccant ad
mortem.

XLV. Et haec est consideratio cognitioque hominis in Adamo corrupti: sequitur cognitio ejusdem hominis, quatenus restitutus ac instauratus est.

XLVI. Hominis autem lapsi & corrupti restitutio seu instauratio, teste tota Scriptura, est cum justificatio, tum etiam Regeneratio.

XLVII. Quapropter Psaltes quoque noster duo ista in hac secunda Psalmi parte tractat: ut in sequentibus videbimus.

XLVIII. Ac justificationem quidem innuit & attingit posteriori parte v. 12. his verbis: Ab occultis munda me.

XLIX Proponit sententiam suam formam precationis, quam ad Deum verum, nec simpliciter ad Deum, sed ad Deum petram suam ac redemptorem suum dirigit. Qua precandi formula duo innuit cognitu utilia & necessaria.

L. Primum fontem causamque justificationis nostrae efficientem principalem: quae est Iehova: Quod testantur haec & alia: Deus justificat impium. Item: Deus est, qui justificat. ^{Rom. 4. Ro. 8. v. 33.}

LI. Deinde justificationis nostri rationem, quae non fit, nisi per Redemptorem seu Mediatorem, Christum videlicet, qui est justificationis nostrae materia. Hinc illa & alia similia multa.

Rom 3.
v. 24. 25.
1. Cor. 10.
v. 30.
2. Cor 5.
v. 21.

Justificamur per redemptionem factam in Christo Iesu. Quem Deus proposuit placamentum, &c. Item: Factus est nobis a Deo justitia. &c. Itē: Fecit eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.

LII. Verbum autē נָקָה Nakah in Pihél significat immunem aliquem & a culpa & a pœna facere, ac tanquā innocentiparcere.

LIII. Hoc ergo verbo prior restitutionis hominis pars, quam justificationem diximus, continetur & exprimitur.

LIII. Est itaque justificatio opus Dei, quo homines peccatores & impios justitia Christi gratis per fidem ipsis imputata, a peccato peccatiq; pœna absolvit, justos agnoscit ac pronunciat.

LV. Justificatio definitur genere, opus Dei: cum, ut supra vidimus, Deus ejus causa efficiens principalis sit: qui hoc opus sibi uni & soli totum vindicat: Ego, ego sum, qui deleo prævagationes tuas propter me.

LVI. In differentia definitionis primū fit mentio subiecti, quod justificatur: id verō est homo peccator, corruptus, impius, Scripturā teste: Deus justificat impium. Item: Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo.

Ro. 4. v. 5.
Ro. 5. v. 10.

LVII. Valeat ergo Sophistarum figmentum, quorum alii justificationem qualitatem in homine hærentem, qua a peccato re ipsa sit immunis, Deoque placeat, somniant: alii essentialem Dei justitiam in hominem infusam, ac cum ea permixtam fingunt. Justificatio siquidem non est vel nova qualitas in hominem infusio, vel essentialis ejus cum essentiali Dei justitia commixtio, sed id, quo Deus naturā peccatores & injustos absolvit, justosq; pronunciat.

Psal 5 v. 2.
2. Cor. 6.
v. 14.

LVIII. Deinde in differentia fit mentio justitiæ Christi imputatæ. Nam Deus, naturā justus omnisq; injustitiæ vindex, hominem naturā impium & injustum, in se & absolute considerata,

Ro. 3. v. 26

non potuisset pro justo habere justum ve pronunciare & absolvere:

vere. Quia propter justiciam Christi, qua ipse legi Dei pro nobis cumulatissime & ex omni parte satisfecit, homini imputata justum pronunciat & absolvit: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu.

LIX. unde rursus apparet nos justos esse, justosque in foro divino pronuncitari & absolvi non justitia nostra, tanquam qualitate nobis infusa aut inherenti, sed aliena justitia nempe Christi, nec id mixtione nostrae simul & Christi substantiae, sed imputatione justitiae ipsius.

LX. Sequitur in definitione, gratis: quod in Scriptura de hoc negotio saepius repetitur & inculcatur, ut hinc apparet. Iustificantiur gratis, id est, ipsius gratia. Item: Gratia estis servati. Item: Ut justificati illius gratia, haeredes efficiemur, &c. Item: Gratis sibi gratos effecit in illo dilecto.

Rom. 3.
v. 23-24.
Ephes. 2
v. 8-9
Tit. 3. v. 7
Eph. 1. v. 6

LXI. Cum ergo justificatio hominis sit gratuitum Dei donum, ut ex allegatis patet, valeat meritum operum, cui tanquam causa in homine consistenti & ab eodem mananti, Sophistae justificationem hominis adscribunt: cum gratia & opus in hac quaestione una consistere neutiquam possint, sed se mutuo pellant: clamante Apostolo: Si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.

Rom. 11. v. 6.

LXII. Gratiae subjungitur fides. Nam ut Deus justitiam Christi ex mera gratia nobis imputat: sic nos justitiam istam gratuitam nobis non applicamus, nisi solo fidei instrumento: unde haec & alia: Christum proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Item: Deus unus, qui justificat circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem. Item: Gratia servati estis per fidem.

Rom. 3
v. 25-30
Ephes. 2. 8

LXIII. Cum ergo fides sit causa organica, qua justitiam Christi apprehendimus, nobisque applicamus: facile est intelligere, istam enunciationem, Fides imputatur ad justitiam, metonymicam

esse; utpote in qua continens pro contento, fides nempe pro Christo fide apprehenso & applicato, ponitur. Quò pertinent similes enunciationes, Fide vivet justus, Fide justificamur. Ex fide est hæreditas.

LXIV. Non ergo fidei, tanquã qualitati in homine, nec ejus operi aut dignitati, sed Christo fide apprehenso justificatio nostri, de sententia Scripturæ, primò ac propriè tribuitur.

Jacob. 2

LXV. Cum verò Jacob dicit, Hominem non fide tantum, sed etiam operibus justificari, opera non fidei vivæ, veræ ac salvificæ, sed fidei historicæ, ac, ut ipse loquitur, mortuæ et bonorum operum inani opponit: ac proinde operum nomine per metonymiam effecti, fidem operosam ac bonorum operum feracem intelligit.

Rom. 3.

v. 28.

Gal. 2. v. 16

LXVI. Valeat ergo Sophistarum somnium, quo dictum Jacobi ita torquent, ut bonis operibus propriè sic dictis justificatione hominis aut totam aut ex parte tribuant contra manifesta scripturæ testimonia: Colligimus fide justificari hominẽ absq; operibus legis. Item: Non justificabitur ex operibus legis ulla caro,

1. Pet. 1

v. 4

Tit. 3. v. 5

Gal. 4. v. 6

2. Cor. 3

v. 17

LXVII. Et talis est prima pars hominis restituti in justificatione nempe: sequitur altera in Regeneratione.

LXVIII. Est autem Regeneratio actio Dei, qua natura hominis corrupta ad imaginem Dei per Spiritum S. renovatur.

LXIX. Regenerationis partes duæ sunt, Carnis seu veteris hominis mortificatio, & Spiritus seu novi hominis vivificatio.

LXX. Priorem partem Psaltes noster innuit v. 13: Etiam a superbiis contine me, ne dominantur mihi: tunc ego ero integer & immunis a scelere multo.

LXXI. Proponit ut priorem, sic & sequentem instaurationis partem formã precationis: qua ostendit regenerationem ex eodem principio & fonte, e quo & justificatio, manare, nempe a Deo.

Ier. 3. v. 18. Quod idem Propheta alius agnoscit: Fac me converti, & convertar: quia tu es Iehova Deus meus. Rectè ergo regenera-
tionem

tionem defini vimus genere actionem Dei.

LXXII. Valeat ergo sophistica distinctio prima & secunda gratia: quarum illa a Dei gratia in unum versum pendere ac proficisci: hæc verò in hominis potestate esse, ac proinde aliquid mereri fingitur: contra id: Deus est qui efficit, & ut velitis, & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia. Phil. 2. v. 13

LXXIII. Est autem carnis seu veteris hominis mortificatio, definiente Psalte, qua continemur a peccatis, integri & a sceleribus immunes reddimur.

LXXIV. Hujus partes sunt duæ, prior tenebrarum naturalium ex intelligentiâ obscuratâ depulsio: de qua dicitur: ut se convertant a tenebris. Item: Tenebræ prætereunt. Posterior est pravitas nativæ e voluntate remotio: de qua dicitur: Aufe- Act. 26 v. 18
ram cor lapideum e carne vestra. Item: Deponite veterem hominem, qui deceptoribus cupiditatibus corrum- 1. Joh. 2 v. 8
pitur. Item: Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentiis. Ezech. 36. v. 26.

LXXV. Vivificationem novi hominis Psaltes attigit ver. Ephes. 4 v. 22
14. his verbis: Sint tuæ voluntati accommodata verba oris mei, & meditatio cordis mei coram te. Gal. 5. v. 24

LXXVI. Novi ergo hominis seu spiritus vivificatio est, Psalte teste, meditatio cordis & verba oris accommodata voluntati Iehovæ.

LXXVII. Vivificationis partes duæ sunt: Intellectus illuminatio & voluntatis ad voluntatem Dei conformatio.

LXXVIII. Intellectus illuminatio, quam Psaltes meditationem cordis seu cogitationem animi coram Iehova vocat, est, qua intellectus, tenebris naturalibus fugatis & discussis, mysteria regni Dei videt, capit, probat. De qua dicitur: Renovamini spiritu mentis vestre. Itē: Induimini novo illo homine, Eph. 4. v. 23.
qui renovatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui cōdidit ipsum. Item. Spirituales djudicat omnia,

Col. 3. v. 10
1. Ioh. 5.
v. 20.

Item: Scimus filium Dei venisse & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui verax est.

LXXIX. *Voluntatis ad voluntatem Dei conformatio, quam Propheta accommodationem verborum oris ad voluntatem Dei vocat, est, qua cum voluntate Dei pugnantia odimus, cum ea congruentia volumus, & per consequens facimus. De qua dicitur: In-*

Ephes. 4.
v. 24.
Gal. 5.
v. 25. 17.

duite novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram. Item: Si vivimus spiritu, spiritu incedamus. Item: Spiritus concupiscit adversus carnem.

LXXX. *Hæ sunt regenerationis partes: sequuntur species; una siquidem inchoata tantum, altera consummata est.*

1. Cor. 15.
v. 28.
1. Cor. 13.
v. 12.
Rom. 7.
v. 22. 23.
Gal. 5. v. 17
1. Cor. 3.
v. 10. 12.
1. Ioh. 3. v. 12

LXXXI. *Inchoata est hujus vitæ, cui ignorantia & concupiscentia prava perpetuo adjuncta est. unde hæc & similia alia: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Item: Cernimus nunc per speculum & per ænigma. Nunc cognosco ex parte. Item: Delector enim lege Dei quoad interiorem hominem. Sed video aliam legem in membris meis belligerantem adversus legem mentis meæ, &c. Item: Caro concupiscit adversus spiritum.*

LXXXII. *Consummata est alterius vitæ, qua plenè perfectæq; de facie ad faciem Deum videbimus totiq; ipsi consecrati erimus. unde hæc & alia: Postquam advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Tunc coram cernemus. Item: Videbimus eum sicuti est. Item: Deus erit omnia in omnibus.*

F I N I S.

ad 6

99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




52

6

VD17

Rehe 0







B.I.G.

Farbkarte #13

3,3

gnitione
LAPSI ET
ERTIA DISPV
XIX. VBI DE PEC-
one & regenera-
fferitur:

MLERO TIGV-
eâ publica συζημοις
figurina in-
atur:

dente,
O SCHINZIO
logia studio.
i. April.



VRI,
EM VVOLPHIVM.
XCVII.

